



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XCV. De Emphyteusi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

re sub gravissimis pœnis tum contrahentium, tum Notariorum scribentium hujusmodi contractus.

20. *Quer.* An conductor possit sublocare rem conductam? *Resp.* Affirmativè; nisi sibi per pactum prohibeatur. l. Nemo 6. C. Locat.

21. *Quer.* An quis cogi possit ad locandam domum suam? *Resp.* Affirmativè. Primò, pro commoditate Doctoris, seu Scholaris penes studium publicum. Auth. Habita. C. Ne Fil. pro Patr. Secundò, ad repellendum impedimentum studentibus: unde Fabri, & alii strepitum facientes possunt longè repelli à domibus Doctorum, quod etiam ab Ecclesiis intelligendum est. Nicol. ubi supra num. 16.

CAPUT XCV.

De Emphyteusi.

1. *Quer.* Quid sit Emphyteusis? *Resp.* Est locatio rei immobilis facta vel in perpetuum, vel ad longum tempus, pro annua pensione, cum hac lege, ut quamdiu Emphyteuta pensionem solvat, ea privari non possit. Nicol. dict. lib. 3. tit. 25. num. 4.

2. *Quer.* Quibus modis fiat Emphyteusis? *Resp.* Tribus modis. Vel ad longum tempus, ut ad decennium. Vel usque ad tertiam, vel quartam generationem. Vel in perpetuum; & si agatur de bonis Ecclesiasticis, semper requiritur licentia Papæ. Nicol. ubi supra.

3. *Quer.* Quæ sint proprietates, & de substantia Emphyteusis? *Resp.* 1. Quòd utile dominium transeat in Emphyteutam, directo remanente apud dominum. 2. Quòd fiat in solis rebus immobilibus. 3. Quòd requiratur scriptura. 4. Quòd periculum rei spectet ad dominum, si res tota pereat; Si verò pro parte, ad Emphyteutam spectet; juxta illud carmen:

Si res perit tota, nihil dabit Emphyteota.

Si non tota perit, non ita salvis erit.

4. *Quer.* An Emphyteusis acquisita, seu relicta pro se, Filiis, & Nepotibus transeat ad fœminas? *Resp.* Negativè, quia in contractibus fœminæ non veniunt nomine filiorum. Rota in una Imolen. bonorum 18. Junii 1618. coram Coccino. Quæ est in rec. part. 4. tom. 2. decis. 107.

5. *Quer.* An transeat ad fœminas, si sit acquisita usque ad tertiam generationem? *Resp.* Affirmativè, quia & fœminæ sub hoc nomine comprehenduntur. Bonac. tom. 2. de Contract. d. 3. q. 7. punct. 2. num. 34. Nisi fuisset dictum pro filiis masculis.

6. *Quer.* An acquisita Emphyteusi usque ad tertiam generationem, ipse acquirens faciat primum gradum? *Resp.* Negativè, quia nemo generat se ipsum, ut ex Rota notat Nicol. ubi supra sub num. 4. ad septimum d. lib. 3. tit. 25.

7. *Quer.* An Emphyteusis Ecclesiastica, concessa pro hæredibus, & successoribus, transeat ad hæredes, & successores extra-

neos? *Resp.* Negativè, sed ad illos sanguinis. Rota coram Cerro in una Cajetana bonorum 3. Novembris 1646. Quæ est in rec. part. 9. tom. 2. decis. 427.

8. *Quer.* Quando possit Emphyteuta privari re Emphyteotica? *Resp.* In tribus casibus. Primò, si rem deteriore reddat; ut arbores cædendo, domum extirpando. Auth. Qui rem. C. de Sacros. Eccles. Secundò, si canonem per biennium non solvat. cap. Potuit. ubi Gloss. extr. de Locato. Tertio, si rem irrequisito domino vendat. Nicol. ubi supra num. 5. & in dictis casibus non solum perdit rem, sed etiam melioramenta. Gloss. in l. 2. C. de Jure Emphyteor.

9. *Quer.* Quando possit retinere rem Emphyteoticam solvendo debitum decursum? *Resp.* Quando dominus non processit ad privationem, & canonem recepit. Ludovis. decis. 148. quia tunc purgatur mora, & censetur caducitas remissa. Item quando debitum erat de parva summa. Nicol. ubi supra num. 5.

10. *Quer.* An incurratur caducitas, si alienatio fiat cum clausula, dummodo dominus consentiat? *Resp.* Negativè, quia domino non consentiente nulla est alienatio. Othobon. decis. 13. num. 7.

11. *Quer.* Si quis Emphyteuta alienet irrequisito domino partem rei, an cadat à tota re? *Resp.* Negativè, sed tantum ab illa parte alienata: nisi tacuisset, quòd illa res tota erat Emphyteotica, quia tunc caderet à tota. Rota coram Ludov. decis. 219.

12. *Quer.* An res Emphyteotica possit impunè donari, domino irrequisito? *Resp.* Affirmativè, sed antequam donatarius capiat possessionem, debet requirere consensum domini, & laudemium ei solvere. Ludovis. decis. 520. Clarus in S. Emphyteusis quest. 15.

13. *Quer.* Quid juris, si in eo casu dominus nollet consentire? *Resp.* Debet donatarius adire Judicem, qui eum obligabit ad consensendum. Rota apud Ludovis. d. decis. 520. num. 4. & par. 1. rec. decis. 280.

14. *Quer.* An alienatio apud manum mortuam, id est, Ecclesiam, vel Universitatem, quæ nunquam moritur, possit fieri? *Resp.* Negativè, quia dominus directus amitteret spem devolutionis, & laudemium in perpetuum. Rota coram Ludovis. d. decis. 520. & decis. 529.

15. *Quer.* An prohibens alienationem in Ecclesias, vel Universitates Ecclesiasticas per viam statuti, aut legis generalis faciat contra libertatem Ecclesiasticam? *Resp.* Affirmativè, ut mordicus defendit Diana part. 1. tract. 1. resol. 103. part. 3. tract. 1. resol. 14. & par. 4. tract. 1. resol. 57.

16. *Quer.* An domino volente possit de jure Ecclesia acquirere Emphyteusim? *Resp.* Affirmativè, ut Beltram. in Addit. ad Ludovis. decis. 520.

17. *Quer.* An in casu lineæ finitæ possit dominus directus propria auctoritate capere possessionem rei Emphyteuticæ? *Resp.* Negativè; sed jure mediante, ad hoc ut hæres

hæres possit consequi melioramenta de jure bonificanda. Ludovif. *decif.* 105. num. 11.

18. *Quer.* An finita linea, si dominus velit iterum dare rem illam in Emphyteusim, debeat anteferre cæteris descendentes à primo investito? *Resp.* Affirmative, ut probat Genuens. in *Praxi* cap. 82.

19. *Quer.* Quando præsumatur Emphyteusis, & non simplex locatio? *Resp.* Secundum Legem Venetam præsumitur Emphyteusis, quando eadem pensio soluta est per 40. annos. At si constaret de initio simplicis locationis, non præsumeretur Emphyteusis. Jacob. Menoch. *conf.* 291. num. 11. Quod tamen male in praxi servatur ob ignorantiam judicum. Nam celeberrimus Vicarius Prætorius Dominus Comes Belisarius à Sancto Flore Seravalensis testatus est mihi, se judicasse pro simplici locatione ad favorem Ecclesiæ, quamvis ipsa receperet eandem pensionem ultra 40. annos; quia constabat ab initio, bona fuisse concessa titulo simplicis locationis.

CAPUT XCVI.

De Livello.

1. *Quer.* Quid sit Livellus, sive contractus Libellaticus? *Resp.* Est contractus similis emphyteusi, in quo datur fundus sub certa pensione in perpetuum, vel ad longum tempus, cum translatione utilis domini in Libellarium, & retentione directi in Libellante. Nicol. d. lib. 3. tit. 25. num. 8. Leotard. de *Usuris* qu. 89. num. 1.

2. *Quer.* An contractus Libelli sit licitus? *Resp.* Pugnare inter se Doctores, tam Theologos, quam Juristas; quorum plurimi tenent, hunc contractum esse illicitum, tanquam Usurarium; quia qui Libellum facit, in rei veritate mutuatur pecuniam cum lucro quinque vel sex pro centenario; & non intendit vendere suum fundum, seu illum emere. E contra alii tenent, esse contractum licitum, quia per totam fere Europam praticatur; ut scribit Mantica de *Tacit. & ambiguis convent.* lib. 22. tit. 3. & Leotard. ubi supra num. 3. & seqq. Et ego in *Decis.* de anno 1685. Mense Decembri, ubi plenè examinavi materiam Livellorum.

3. *Quer.* Quid in puncto juris, & in puncto conscientie sit dicendum circa Justitiam hujus contractus? *Resp.* Possit responderi, quod sit licitus; si pacta duriora non imponantur accipienti pecuniam; si fundus verè existat, qui venditur, & retroceditur ad Livellum; si in pacto restituendi pecuniam, nempe affrancandi Livellum, cautè procedatur, & non ponatur ad libitum Livellantis; quia illud est signum evidens sceleris. Menoch. de *Præsumpt.* lib. 3. præsumpt. 122. num. 19. & Leotard. d. quæst. 89. num. 18. Quod latius à me fuit disputatum in *dd. Decisionibus* Anni 1685. d. Mense Decembri, quas legisse quemlibet juvabit.

4. *Quer.* In quo differat Livellus à Censu? *Resp.* In hoc potissimum differre, quod in Livello dominium directum fundi frugiferi

remanet penes Livellantem; in Livellarium verò transit tantummodo dominium utile. At in sensu resignativo utrumque dominium transit in Censuarium. Et in Censu resignativo utrumque dominium pariter remanet in Censuario; quia censualista acquirit solum jus exigendi annuam pensionem; ut scripsi in *dictis meis Decisionibus* Anno 1685. quæstio 1. Mense Decembri.

5. *Quer.* Quotuplex sit Livellus? *Resp.* Quod est duplex. Unus pecuniarius, quando pro Livello solvitur annua pecunia. Alter fructuarius, quando pro eo solvitur granum, vel vinum. Item alius est francabilis, & alius perpetuus; de quibus d. Anno 1685. Mense Decembri.

6. *Quer.* Quot condiciones sint necessariae pro justitia hujus contractus Livellarii? *Resp.* Quinque. 1. Quod fundus, super quo sit Livellus, sit in rerum natura. 2. Quod sit in dominio ejus, qui vult eum dare ad Livellum. 3. Quod non sit prohibitus alienari. 4. Quod sit frugiferus. 5. Quod Pensio Livellaria correspondeat fructibus ejusdem fundi. Ita in *iisdem Decis.* Anni 1685. Mense Decembri in tertio quæsto ubi DD.

7. *Quer.* An in Livello necesse sit exprimere individualiter confines camporum, super quibus formatur? *Resp.* Negative, nam sufficit eos generaliter nominare; ut sit, quando constituitur livellus, E. gr. super quatuor campis de corpore Unius possessionis camporum centum in tali Villa existentis. Menoch. *conf.* 287. à num. 8. & seqq. Rota par. 4. rec. *Decis.* 696. num. 3. Adden. ad Ludovif. *Decis.* 355. num. 6. & ad Burattum *Decis.* 50. num. 29.

8. *Quer.* Quanta summa pensionis annuæ possit imponi pro Livello? *Resp.* Si Livellus sit perpetuus, non debet Pensio excedere quatuor pro centenario. Si Pensio sit libera ab omni gravedine, non debet excedere quinque cum dimidio pro omni centenario. Si non sit libera ab omni gravedine, non debet excedere sex pro centenario. Ratio est, quia in hac materia talis est consuetudo, & lex Serenissimæ Reipublicæ, ut in nova impressione Statuti Paduani de Anno 1682. pag. 329. Ut ego scripsi in d. *Decis.* Anno 1685. Mense Decembri. Et docet Marta *conf.* 126. num. 35. Salas de *Censib.* dub. 22. Cardin. de Lugo de *Just. & jur. disp.* 27. num. 44. & Decian. vol. 5. *resp.* 23. num. 25.

9. *Quer.* An ex Livellis sua die non solvatis, & ob moram debeatur interesse? *Resp.* Negative. l. 2. ff. de *Admin. rerum ad Civit. pertinens.* l. Neque eorum, ff. de *Usuris.* Leotard. ubi supra num. 21.

10. *Quer.* An Livellarius super re, quam tenet ad Livellum, possit censum constituere, seu pecuniam accipiendo aliud Livellum super ea constituere? *Resp.* Affirmative; dummodo id sibi prohibitum non fuerit à domino directario. Item, quod non sit in præjudicium primi Livelli; & quod fundus, vel domus sit capax constitutionis hujus secundi Livelli. Leotard. de *Usuris* quæst. 52. num. 21. Igitur ego accepi in Livellum domum, quam habito pro Ducatis 30. annuis. Feci